



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Modus alius quo se quisque ad mortem pr[a]eparare possit, Can. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

pressum in mentem iucundissimum spiritum raperem atque transformarem, & ante conspectum summæ & adorandæ Trinitatis perducerem.

Hæc omnium amicorum meorum ad feliciter moriendum exercitia fuere, & etiam nunc sunt, quibus se omnibus diebus vitæ suæ ad mortem præparant, neque vllum vnquam diem omiserunt, in quo non vltimæ illius horæ memores essent, quando ex hac luce migraturi fuerint.

Modus alius quo se quisque ad mortem præparare possit.

CANON XIV.

Sunt qui velut præsentem mortem quotannis sibi exercitio quodam præfigunt, id est non aliter, atque si iam forent morituri, ad mortem parant, id est ad quinque dies continuos. Prima die, meditantur poenas atque infirmitates mortem præcedentes, atque horrorem mortis: ad quæ omnia se resignant. Altera die, de peccatis suis cogitant, illa tanta diligentia atque sedulitate confitendo, ac si post confessionem statim forent morituri. Itaque illam diem gemitibus & fletibus transigunt. Tertia die, ad sacram Eucharistiam, quasi viaticum pro exitu huius exilij summentes, quanto possunt feruore accedunt. Quarta die, pro vñctione sancti Spiritus, qua illuminentur atque emolliatur cordis sui duritia, Deum rogant assidue. Et hoc faciunt pro extrema vñctione. Quinta die, Deo feruentissimè supplicat pro morte spirituali, qua mundo & sibi ipsi perfecte moriantur, viuant autem Deo. Singulis autem his diebus possunt applicari Psalmi & orationes congruæ, nec non inuocationes Sanctorum, & tandem gratiarum actio pro omnibus beneficijs à Deo per totam vitam collatis.

Dies præparationis ad mortem qui sunt.

Consilium tempore mortis instantis.

CANON XV.

Filia in infirmitate constituta, præpara animam tuam Deo. De bonis tuis temporalibus in vita tua sic ordina atque constitue, vt post mortem tuam nec lis, nec quærismonia nascatur. Vtilissimum est bona in vita agere, & misericordiaz operibus, dum viuus, peccata redimere. Quæcunque alijs pro te facienda committere vis, per te ipsam perficere stude. Nam si mories in æternum iueris supplicium, testamenti tui apparatus, pompa funeralis, atque elemosynæ ac sacrificia post mortem, quid conferent tibi damnatæ? Hæc mihi dum viuus sacrificia, vt non solum à peccatis libereris, sed etiam in gratia mea crescendo, ad damnationem non peruenias, sed à peccatis, me præseruante, in bonis operibus ad finem vsque peruenies. Morte accedente, fac vt à curis & occupationibus alijs tunc prorsus libera, mihi studeas immaculata, desiderabunda & fiducia plena occurrere, nihil de tuis operibus, sed de mea misericordia infallibili salutem tibi promittens: atque in hac fide & te ipsam, & vniuersa quæ in mundo sunt, prouidentia ac beneplacito meo committens, Sacramenta humiliter atque deuotè suscipias. Indulgencias quoque, quæ ex meis meritis habent virtutem, & Ecclesiæ pro thesauro à me datæ sunt, tamen si multi illis sapè, sicut & sanctissimis quibusque alijs, abusi sint, si habere potes, tibi facias applicari. Hoc enim & valde sancti vtriusque sexus homines, ijs miraculis celebres fecerunt.

Morte vrgente quid agendum.

Exercitium quo mane, aut quocumque volueris, Deo effundas cor tuum pro bona morte.

Dddd 3

CANON